



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.  
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ  
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

Cap. VI. Partitio prima historiæ civilis (specialis) in memorias, antiquitates,  
& historiam iustam.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**

gentia, plurima audacter confingant; alii alii, non tam ingeniorum suorum, quam affectuum imaginem rebus imprimant, & addant, partium suarum memores, rerum parum fideles testes: quidam Politica, in quibus sibi complacent, ubique inculcent, & diverticula ad ostentationem quaerendo, narrationem rerum nimis leviter interrumpant; alii in Orationum, & Concionum, aut etiam Actorum ipsorum prolixitate, parum cum iudicio, nimii sint, adeo ut satis constet, non inventi inter Scripta hominum rarius quicquam, quam Historiam legitimam & omnibus numeris suis absolutam. Verum nos in praesenti partitionem doctrinarum instituimus, ut omnia; non Censuram, ut vitiosa notentur, Nunc partitiones *Historia Civilis* persequemur, easque diversorum generum; Minus enim implicabuntur Species, si partitiones diversae proponantur, quam si una partitio curiose per membra deducatur.

## CAP. VI.

Partitio prima Historiae Civilis, in Memorias, Antiquitates, & Historiam iustam.

**H**istoria *Civilis* tripartita est, tribus picturarum aut imaginum generibus non absimilibus. Videmus enim ex picturis, & imaginibus, alias imperfectas, ut quibus ultima manus non accesserit; alias perfectas, alias vero vetustate mutilatas & deformatas, *Historiam* similiter *Civilem* (quae imago rerum & temporum quaedam est) in tres species, illis picturarum congruas, partiemur; *Memorias* scilicet, *Historiam iustam*, & *Antiquitates*. *Memoriae* sunt *Historia inchoata*, aut prima & rudis Historiae lineamenta, *Antiquitates* vero *Historia deformata* sunt, sive reliquiae Historiae, quae casu in naufragio temporum erepta sunt.

*Memoriae*, sive praeparationes ad Historiam, duplicis generis sunt, quorum alterum *Commentarios*, alterum *Registra* vocare placet. *Commentarii* nudam actionum & eventuum seriem ac connexionem proponunt praetermissis causis rerum & praetextibus, initiis quoque earundem & occasionibus, consiliis itidem & orationibus, & reliquo Actionum apparatu. Talis enim est propria *Commentariorum* natura: licet Caesari, per modeltiam quandam cum magnanimitate conjunctam, praestantissimae, inter eas, quae extant Historiae, *Commentariorum* nomen indere placuerit, At *Registra* duplicis naturae sunt: Complectuntur enim aut *Titulos Rerum & Personarum*, in serie temporum, quales dicuntur *Fasti*, & *Chronologiae*; Aut *Actorum Solennitates*, cujus generis sunt, Principum Edicta, Senatuum Decreta, Judiciorum Processus, orationes publicae habitae, Epistolae publicae missae, & similia, absque narrationis contextu, sive filo continuo.

*Antiquitates*, seu *Historiarum Reliquiae*, sunt [uti jam diximus] tanquam tabulae naufragii, cum deficiente, & fere submersa, rerum memoria, nihilominus homines industrii, & sagaces, pertinaci quadam, & scrupulosa diligentia, ex genealogiis, factis, titulis, monumentis, numismatibus, nominibus propriis & styliis, verborum etymologiis, proverbii, traditionibus, Archivis & instrumentis tam publicis quam privatis Historiarum fragmentis, librorum neutriquam Historicorum locis dispersis, ex his, inquam, omnibus, vel aliqui-

bus, nonnulla à temporis diluvio eripiunt, & conservant. Res sane operosa, sed mortalibus grata, & cum reverentia quadam conjuncta; ac digna certe, quae deletis fabulosis nationum originibus, in locum hujusmodi commentitorum substituantur; sed tamen eo minus habens Auctoritatis, quia paucorum Licentiae subijcitur, quod paucis curae est.

In his *Imperfectae Historiae* generibus defectum aliquem non puto designandum, cum sint tanquam *Imperfectae Mista*, ut defectus hujusmodi sit ex ipsa earum Natura. Ad *Epitomas* quod attinet, (Historiam certe teredines, & tineas,) eas exulare volumus; quod etiam cum plurimis, qui maxime laesi fuerunt iudicii, facimus; utpote quae complura nobilissimarum Historiarum corpora exederint, & corroderint, atque in faeces inutiles demum redegerint.

## CAP. VII.

Partitio Historiae iustae in Chronica, Vitas, & Relationes; Earumque partium explicatio.

**A**t *Historia iusta* trium est generum, pro ratione *Objecti*, quod sibi proponit representandum. Aut enim *Portionem aliquam temporis* representat; aut *Personam singularem* memoria dignam, aut *Actionem aliquam* sive *rem gestam* ex illustrioribus. Primum *Chronica* sive *Annales* appellamus, secundum *Vitas*, tertium *Relationes*. Inter quae, *Chronica* celebritate & nomine excellere videntur, *Vita* autem, fructu, & exemplis, *Relationes* rursus sinceritate & veritate. *Chronica* namque amplitudinem actionum publicarum, & personarum facies externas, & in publicum ventas, proponunt; Minora autem, quae tum ad Res, tum ad Personas pertinent, omittunt, & silentio involvunt. Cum vero id artificii divini sit proprium, ut *Maxima è minimis suspendat*, sit saepe numero, ut hujusmodi *Historia*, majora tantum percuta, negotiorum pompam potius, & solennia, quam eorum veros fomites & texturas subtiliores ostendat: quietiam, etsi *Consilia* ipsa addat, atque immisceat, tamen granditate gaudens, plus gravitatis atque prudentiae, quam re vera habent, humanis actionibus aspergat; ut *Satyra* aliqua possit esse verior humanae vitae tabula, quam nonnulla ex ejusmodi *Historiis*. Contra *Vitas*, si diligenter, & cum iudicio perscribantur. [neque enim de *Elogiis*, & huiusmodi *Commemorationibus* jejunis loquimur] quandoquidem *Personam* singularem pro *Subiecto* sibi proponant, in qua necesse est actiones, non minus leves, quam graves, parvas quam grandes, privatas quam publicas, componi & commisceri, sane magis vivas & fidas rerum narrationes, & quas ad exemplum tutius & feliciter transferre possis exhibent. At *Relationes* Actionum speciales [quales sunt *Bellum Peloponnesi*, *Expeditio Cyri*, *Conjuratio Catalinae*, & similia] omnino puriore & magis sincero veritatis candore vestiri par est, quam *Historias iustas* temporum, quia argumentum in iis deligi, & sumi potest habile, & definitum; atque ejusmodi, ut de eo notitia, & certitudo bona, & plena informatio haberi possit, cum contra *Historia temporis* [praesertim quae eate *Scriptoris* multo antiquior sit] necessario in memoria rerum saepius fatiscat, & veluti spatia vacua contineat, quae ingenio & conjectura occupari, & sup-